

INDEX LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI HIBERNO A. MDCCCLXXX—LXXXI

AB DIE XV M. OCTOBRIS

PUBLICICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

DE

AESCHYLO G. HERMANNI


F. V. FRITZSCHUS

PRAEFATUS EST.

ACCEDUNT EMENDATIONES.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.





Librum postumum edere plerumque nihil aliud est, nisi tempus, quod ipsius editoris libris proferendis vix sufficit, operi tribuere alieno. Sed literarum amor, praesertim si pietatis officium accedit, molestias omnes potest vincere. Tale verae pietatis monumentum post mortem G. Hermannii condidit Aeschylus Hermanniani editor M. Hauptius, vir eximia laude dignus, ne dicam admiratione. Nam ego sic censeo, qui criticus in Aeschylus artem exercere velit, Hermannii editione carere posse neminem. Inprimis vero Hermannus, felix ille tragicorum atque Pindari interpretis praeclaro exemplo nos monet, ne tanquam meri syllabarum aucupes nugas, quae summis poetis indignae sint, temere effutiamus. Sed ad Hauptium revertor. Qui, ut in Praefat. p. IV ipse ait, Hermannii observationes accurate composuit, nihil admiscuit de suis conjecturis remque ita instituit, non ut Hauptii liber existeret, sed totus esset Hermannii. Neque tamen fieri potuit, ut talem Aeschylum ederet, qualem ipse Hermannus editurus fuisset. Nam Supplices tantum seni paulo ante mortem ipsi licuit retractare, non item caeteras Aeschylus fabulas: quod facere si licuisset, omnia huius poetae carmina pariter atque Supplicum novis et egregiis inventis ipse ornaturus fuisset. Hauptii autem labor eo mire adauctus est, quod Hermannus paulo ante obitum Aeschylus sui editionem amico mandavit. Moriens enim singillatim praecipere non potuit, qua ratione amicus officium exsequeretur, sed confidere se dixit Hauptium pro amore suo diligenter omnia curaturum esse. Vixit Hermannus Aeschylus, opus ardentem a plurimis expetitur lucem viderat, quum XXV minimum libri libellique Aeschylus brevi intervallo ab philologis evulgarentur: tantopere Hermannii editione studia criticorum excitata erant atque incensa. Tulit ergo Hauptius tanti laboris fructum, quo tamen ipse vix mediocriter gavisus est. Quod quidem in Opusc. III p. 508 ipse testatur: „non soleo, inquit, me eis inmiscere, qui ad emendandas Aeschylus tragoe-dias convolant.“ Gaudebat ille quidem magnorum criticorum consensione ut A. Meineki, ut F. Ritschlii contemnebatque juvenem quendam, quem merito dixeris leonis mortui asellum calcitronem, sed offendebatur editorum quorundam iniquitate. Quasi enim Haupti praefationi aut nihil crederent aut eam ne legissent quidem, ita nonnulli de variis Aeschylus locis cum Hermannio mortuo subrustice expostulant et expectatione haud raro se ajunt frustratos esse: quae culpa ipsorum est, non Hermannii, quem senem spe sua citius indignantur emortuum esse. Atqui verissime dicta esse omnia, quaecunque Hauptius scripsit in praefatione, si quis alius, ego testari possum. Hermannus enim quum juvenis codd. Guelferb., Lips., Viteb. et Augustanum ipse excussisset fructu exiguo: Medicei potius libri antiquissimi nova collatione opus esse intellexit. Mox autem Florentiae majorem huius codicis partem, i. e. Persas et Oresteum bene contulit C. F. Weberus et collationem suam magistro dedit muneri annis ante Hermannii mortem triginta. Qui non multo post primum de his quatuor tragoediis absolvit commentarios suos, reli-quarum autem certas collationes diutissime frustra expectavit. Quod quum longius fieret, sic quoque ad Prometheum et ad Septem adv. Th. scripsit adnotationes, scripsit

autem, ut ego ab ipso Hermanno accepi ineunte anno h. s. XXXV^{to} sive annis ante mortem quatuordecim easque paullo post ex parte retractavit, ut recte Hauptius in Praefat. p. XV. Medicei tamen libri collatione nova etiamtum carebat. Denique autumnus anni MDCCCXLVII h. e. uno fere anno ante mortem praeclaram accepit Medicei collationem Supplicum, Promethei, Persarum et Septem adv. Th., quam Tycho Mommsenus confecerat criticus de Pindaro egregie meritis. Enimvero Hermannus antea Bionis et Moschi editionem in se receperat eoque ultimos vitae menses soli Aeschilo impendere prohibitus est. Quare unam modo fabulam, Supplices Mommseni collatione adjutus retractavit, in Persis ipse Weberi tantum collatione usus est, denique in Prometheus et Septem adv. Th. Hauptius demum Medicei lectiones suo quamque loco videtur inseruisse. Profecto Aeschylus scriptor est tantopere corruptus, ut nisi multorum opera conjuncta satis certo emendari nequeat. Itaque meas conjecturas, quas olim Hauptianae editionis marginibus adscripsi, de locis Promethei tandem aliquando edam nonnullis tamen omissis, quas alii interim ab se quoque inventas edere praeoccuparunt. Quodsi Hermanno contigisset Prometheus totam retractare et ad Medicei normam exigere: tum vero aut eadem partim quae ego aut potius multo meliora certioraque talis tantusque vir reperturus fuisset. Sed primum de loco mendoso Persarum v. 13: *πᾶσα γὰρ ἰσχὺς Ἀσιατογενής | ὄχλωε*, NEON δ' ἄνδρα βαύζει error quidam meus videtur corrigendus esse. Neque enim verbum βαύζει carere potest Subjecto, quod in corruptela νέον lateat necesse est. Dixi ego amicis scribi posse: — *ὄχλωε*, γυνή δ' ἄνδρα βαύζει, opinione justo audaciore. Hodie autem lenius et confidentius repono: — *ὄχλωε*, ΝΥΟC δ' ἄνδρα βαύζει, h. e. ,nova nupta maritum cum lamenti desiderat.' Nam quod poetae latini uxorem juvenilem dicere solent ,nurus', ut ostendit Hauptius ad Ovid. Metam. II, 366, id totum e graeca poesi petitum est. Vide schol. ad Eurip. Hec. v. 321: *νύμφη ἢ ἄρτι εἰς γάμον ἐρχομένη, ἣ τις ποιητικῶς νύθς λέγεται*. Nunc transeo ad Prometheus. V. 117. Dochmios commendat v. 115 bacchiacus. Verum dochmios et creticus, sicut in locis Seidleri De VV. Dochm. p. 165, junguntur intra dochmiorum systemata, extra autem dochmiaco opus est dimetro. Et hic quidem inter πάγον et πόνων excidisse videntur haec ipsa verba τίς ὢν; quae sententia quoque requirit, hoc modo: *ἔκτε τερμόνιον ἐπὶ πάγον [τίς ὢν;] | πόνων ἐμῶν θεωρὸς, ἧ τί δὴ θέλων*; Ceterum Dindorfius metri vitio bene offensus suum ipse senarium Aeschilo audacter obtrudebat. V. 215: *ὥς οὐ κατ' ἰσχὺν οὐδὲ πρὸς τὸ καρτερόν | χρεῖη, δόλῳ δὲ τοὺς ὑπερέχοντας κρατεῖν*. Librorum vitium τοὺς ὑπερέχοντας alii aliter sanare student. Ac Porsoni quidem aoristus τοὺς ὑπερτέροντας h. l. vel minime aptus est. Multo praestat Hermannii conjectura τοὺς ὑπερέχοντες, sed tamen aliud quiddam videtur latere. Mihi in mentem venerat τοὺς ὑπερόχους, Homericum vocabulum neque indignum Aeschilo, quum praesertim ὑπέροχος in Prometheus v. 430 inveniatur. V. 270: *οὐ μὴν τι ποιναῖς γ' ὀρόμην τοῖαισί με | κατισχανεῖσθαι πρὸς πέτραις πεδασαίοις, | τυχόντ' ἐρήμου τοῦδ' ἀγέιτονος πάγου*. Equidem deleto γ' post ποιναῖς corrigo τοῖαισί γε h. m: *οὐ μὴν τι ποιναῖς ὀρόμην τοῖαισί γε* —. Barbarum esse με Elmslejus quoque viderat scribens ille τοῖαισίδε. Nimirum passive dictum est κατισχανεῖσθαι, prorsus ut πημανεῖσθαι, de quo recte Elmslejus ad Ar. Acharn. v. 849 (842). Denique hic v. 272 aut ita τυχόντ' servandum est, non ut με sed τινά intelligatur, aut potius cum Hartungo scribendum τυχών. V. 315: — *τάχ' ἄν σου κ. μ. ἀ. | θ. κλύοι Ζεὺς, ὥστε σοι τὸν νῦν χόλον | παρόντα μόχθων παιδιὰν εἶναι δοκεῖν*. Quum hic Ζεὺς praecedat, scribae χόλον dederunt: χόλος enim de Jovis ira supra v. 29 et infra v. 378 dictum est. Pro isto χόλον, quae sane vera vitii sedes esse videtur, Doederlinus ὄχλον inepte conjecit, quasi hic de turba malorum sermo sit ac non potius de gravitate. Equidem margini haec adscripsi: ,pro χόλον scribo ὄχλον, ut ὄχλον μόχθων i. e. ,aerumnarum onus' cohaereant, sicut est παιδείας ὄχλος in Sept. adv. Th. v. 18.' Eodem modo legi voluit Meinekius, nondum ille in edit. sua p. 17, sed mox

in Philologo XV p. 139, qui postremo (teste Hauptio in Opusc. II p. 189) opinionem illam abiecit. Et Hauptius nobis collocationem verborum non male opponit. Itaque aqua mihi haeret laudoque Hermanni silentium. [Longe alia conjectura mea fuerat pristina. Servabam enim illud *χόλον*, proximorum autem *παρόντα μόχθων* (ita M, non *μόχθον*, ut codicilli), horum inquam loco *παρόντ' ἄμοχθον* corripibam, i. e. ,ita ut tibi praesens (Jovis) ira ludus malorum expers esse videretur.' Sed de h. l. viderint acutiores.] V. 372—374. Primum duo versus 372 qui desinit in *χόλον* et 374 qui a *καίπερ* incipit, minime alio versu interrumpi possunt. Tum *θερμοῖς* — *βέλεσι* appositio est ad dativum *ἀγρίαις γνάθοις*. Ergo v. 373 post v. 371 (post *γύας*) ita transponendus est: *ποταμοὶ — γνάθοις | τῆς — γύας, | θερμοῖς ἀπλάτου βέλεσι πυρπνόου ζάλης. | τοιόνδε Τυφῶς ἐξαναζέσει χόλον, | καίπερ κεραυνῷ Ζηνὸς ἠνθρακωμένος.* V. 383—385. Stichomythiae legem hic male turbatam esse vidit Reisigius, cui ante v. 385 unus versus Promethei videbatur deesse. Ceterum non ante sed post hunc versum (post *εὐθηρίαν*) unus excidit, quem hariolando uncis inclusum supplebo: Ω. ἐν τῇ προθυμείῃσθαι δὲ καὶ τολμᾶν τίνα | ὄρᾳς ἐνοῦσαν ζημίαν; διδασκέ με. | Π. μόχθον περισσὸν, κουφόνουν τ' εὐθηρίαν. | [νοσεῖς δὲ κάρτα, κοῦ προμηθεῖσθαι θέλεις.] | Ω. ἔα με τῆδε τῇ νόσῳ νοσεῖν —. Hic ob Oceani responsum νόσῳ illud νοσεῖς arbitror prope necessarium esse. Et *προμηθεῖσθαι* servat scholiasta vetus ad v. 383, qui explicat ἐν τῇ προνοεῖσθαι. Non tamen ideo viri summi v. 383 ἐν τῇ προμηθεῖσθαι scribere debebant. Nam neque Oceanus nunc vult prudenter agere, neque Προμηθεύς suum ipse opus, τὸ προμηθεῖσθαι potest castigare. Ergo v. 383 ἐν τῇ προθυμείῃσθαι non erat mutandum, sed alterum fluxit ex eo versu, qui post v. 385 intercidit. V. 425 sqq. Epodus est et epodum olim in El. D. M. p. 730 ipse Hermannus bene agnoverat. Mox v. 430 libri: *ὃς αἰὲν ὑπέροχον σθένος κραταῖον οὐράνιον τε πόλον νώτοις ὑποστενάζει.* Hic γὰν (sive γὰς) excidisse primus vidit Hermannus. Praeterea ego pro *κραταῖον* corripo *κρατύνων* et *ἐπιστενάζει* pro *ὑποστενάζει*. Scribe: *ὃς αἰὲν ὑπέροχον σθένος κρατύνων | [γὰς] οὐράνιον τε πόλον νώτοις ἐπιστενάζει.* V. 534. *ἀλλὰ μοι τόδ' ἐμμένει* Prorsus necessarium est ἀλλά, sed pro τόδ' malim τοῦτ' cum Hermanno. V. 540. Post *διακναϊόμενον* deest epitritus tertius. Ego [*χαλκευμάτων*] excidisse opinor, conlato superiore versu 19, qualis notio ob *δερχομένα* requiritur, quoniam *μόχθους* nemo potest adspicere, potest ,vincula ferrea'. V. 542. *ἰδίᾳ γνώμα σέβει* Nullus dubito ἀντίᾳ γν. σ. corrigere, quod exposcunt prima hujus chori verba v. 528 sq. Vide Agam. v. 477 et Eurip. Suppl. v. 200. In pedestri sermone *ἐναντία γνώμη* dicitur millies. V. 547. *ἰσόνειρον*] Reisigius *ἀντόνειρον* conjiciebat metro perspecto. Ego vero malim ὡς ὄνειρον i. e. ἄκικυν, ὡς ὄνειρον. Comparo post Stanleium Eur. Phoen. v. 1722: *πόδα τίθει | ὥστ' ὄνειρον ἰσχύν.* V. 548. *ἀλαὸν γένος ἐμπεποδισμένον; οὐποτε*] Post *ἀλαὸν* verbum finitum deesse Brunckius alique recte viderunt. Optime vero *ἀλαὸν* [ὀδέεται] supplet Hermannus ac tum pro *οὐποτε* corrigit *οὐπω*, quod in poetis non semper ,nondum' sed haud raro οὐπως (,wohl nicht') significat. V. 553. *τόδ' ἐκεῖν' ὅτε τότ' ἀμφί*] ita Mediceus. Infeliciter Brunckius et post eum caeteri: *τόδ' ἐκεῖν' θ' ὅτ' ἀμφί* —. Neque enim ferri possunt ὅτ' ἀμφί — ὅτε τὰν — prope continua. Ego corripo: *τόδ' ἐκεῖν' α' θ' ὅτ' ἀμφί λ.* Hymenaeum dicit carmen nuptiale neque suppleendum μέλη, sed *ἐκεῖνα ὅσα* — ὅμ. hymenaeus est unus. V. 563—609. Jonis carmen maxima ex parte antistrophicum esse primus vidit Hermannus tum juvenis ad Aristot. De Poet. p. 143 et mox idem criticus multa hujus carminis menda certo persanavit. Pauca, de quibus ego dubito, alio l. (De monodiis I p. 12 sq.) in medium attuli. V. 613. *πυρὸς βροτοῖς δοτῆρ' ὄρᾳς Προμηθέα.*] Scholiasta ad h. l. vetus: *δεῖ προσθεῖναι τὸ α' τῇ δοτῆρα διὰ τὴν τομὴν.* In dissertatione ,De caesuris' negavi me cum scholiasta consentire, addidi tamen hoc scholium esse gravissimum. Ibidem conjeci trimetros, qui quidem non canerentur, a bono actore in scena ita pronuntiatos fuisse, ut metrum nec nimis urgeret nec prorsus omitteret neve ad prosam numerosam temere

aberraret, sed ita potius ut cum numero toto metri partem apte conjungeret. V. 618. Jo (v. 607) scire vult, quae sibi mala porro impendeant, cui Prometheus (v. 610) haec se omnia dicturum respondet eaque infra (v. 703 sqq.) enarrat. At (v. 616) Prometheus cur ipse sua mala patiatur dici nunc posse negat. Haec enim, quae spectatores jam antea audierant, non erant hic putide repetenda. Jo tamen (v. 617) precibus instat. Tum demum Prometheus (v. 620) malorum suorum auctorem nominat, de caeteris autem (v. 622) tacet constanter. Venio ad Promethei verba v. 618: λέγ' ἦντιν' αἰτῶ· πᾶν γὰρ οὖν πύθοιό μου (ita Mediceus). Omnes fere Brunckium secuti sunt, qui versu 610 deceptus πᾶν γὰρ ἄν πύθοιό μου conjecerat. Brunckio v. 616 et inprimis v. 622 adeo repugnant, ut inde pateat sententiam requiri contrariam. Scripserat Aeschylus: λέγ' ἦντιν' αἰτῶ· πᾶν δ' ἄν οὐ πύθοιό μου h. e. ,aliquid ex me audies, omnia non audies'. Compara superiora v. 522, ubi Prometheus ad chorum: τοῦτ' οὐκέτ' ἄν πύθοιο· μηδὲ λιπάρει. V. 681. ἀπροσδόκητος δ' αὐτὸν αἰφνίδιος μῦθος | τοῦ ζῆν' ἀπεστέργεσεν. Sermo est de Argo Jonis custode. In Arund. et G. ἐξαίφνης supra scriptum est. Frustra critici servant omnes notionem αἰφνίδιος, quae (pariter atque ἐξαίφνης) mera glossa est ad v. ἀπροσδόκητος olim adscripta. Haec glossa fallente exitu αἰφνίδιος genuinam scripturam expulit. Tu scribe: ἀπροσδόκητος δ' αὐτὸν ἐκ Διὸς μῦθος —. Ita enim illud ἐκ Διὸς poni solet, ut supra v. 668, infra v. 760 itemque in Agamemnone et Eumenidibus. Argum Mercurius occidit (Supplic. v. 290) sed ut inter omnes constat, occidit Jovis jussu. Vide vel Lucian. D. Deor. III circa finem, ubi ad Mercurium Jupiter: ἐκείνον (sc. τὸν Ἄργον) ἀπόκτεινον —. V. 689. οὐποτ' οὐποτ' ἡρόχμην ξένους Med., sed pro ἡρόχμην melius ἡρόχουν scholiasta vetus et octo codicilli. Tu certo corrige: οὐποτ' οὐποθ' [ὡδ' ἐπ.] ἡρόχουν ξένους —. Eodem modo ἐπαυχῶ dictum est in Soph. Electr. v. 65. Nam — intra dochmios non est penthemimeres trochaicum sed ipsius forma dochmii, qua Pindarus quoque et Euripides utuntur. Ergo hic versus dochmiacus est dimeter ut proximus. V. 692. libri: πῆματα λύματα δεῖματ' ἀμφήκει κέντρῳ ψύχειν ψυχὰν ἐμάν. Scribe: π. λ. δεῖματα θ' ὥστ' | ἀ. κ. ψύχειν ψυχὰν ἀμάν (sive ἀμάν). Nisi enim ὥστ' praecederet, opus esset futuro ψύξειν. Tum ἀμάν est σπονδεῖος μετρίων, qui in clausula requiritur. Jure autem Hermannus ψύχειν probat rejecta Meineki conjectura ψήχειν. Nam illud et convenit proximo verbo πέφρικα et in junctis ψύχειν ψυχὰν a poeta ipso alliteratio quaesita est. V. 695. libri: πέφρικ' εἰσιδοῦσα (εἰσιδοῦσα M) πρᾶξιν Ἰού. Pro πέφρικ' Hermannus in adnot. p. 119 verissime corrigit πέφρικά σ', quo accusativo praeter Pindarum Homerus Jl. λ', 383 et Ar. Nub. v. 1117 utuntur. Πέφρικά σ' tum metro commendatur, tum vero propter eandem chori sententiam infra v. 896 sqq. prorsus est necessarium. V. 761. ὥς τοίνυν ὄντων τῶνδε μαθεῖν σοι πάρα. Sic libri etiam M μαθεῖν σοι, ita tamen ut literae ν σοι sint in litura. Editores post Turnebum transponunt σοι μαθεῖν. At σοι nihil est aliud nisi glossa, qua ejecta ego conicio: ὥς τοίνυν ὄντων τῶνδε συμμαθεῖν πάρα, i. e. ,conscire licet'. Συμμαθεῖν habet Soph. Ajace v. 869. V. 763. Recte Hermannus πρὸς αὐτὸς αὐτοῦ edidit et sic ipse Med. Alteram lectionem αὐτὸς πρὸς αὐτοῦ respuit nostramque exposcit concinnitas. Vide initium v. 762 πρὸς τοῦ —; et compara Agam. v. 1046 sq. Dindorfium longe aliter sentientem Hauptius in Opusc. T. II p. 185 sqq. doctissime optimeque refutavit. V. 771. Ad Jonis verba, οὐδ' ἔστιν αὐτῷ τῆςδ' ἀποστροφῇ τύχης; Prometheus respondet in Mediceo: οὐ δῆτα πλὴν (v. sec. m.) ἔγωγ' ἄν ἐκ δεσμῶν λυθείς. Sed pro isto πλὴν multi codd. πρὶν exhibent et pars eorum λυθῶ pro λυθείς. Proxime ab vero Porsonus abfuit, qui servato λυθείς participio et scripturam πρὶν recepit et obelum ante ἔγωγ' adposuit. Hic igitur criticus solus bene judicavit, ἔγωγ' esse depravatum. Ego non dubito sic corrigere: οὐ δῆτα, πρὶν λέξω γ' ἄν ἐκ δεσμῶν λυθείς. Ad conjunctivum aoristi λέξω supple e v. 770 ἀποστροφῇ. Pari jure Aeschylus πρὶν δέξω dicere potuit, quo verbo infra v. 918 de eadem re usus est. V. 835. 36. Longa est protasis v. 830—36, quam non ante v. 837

ἀνταδίδεν sequitur apodosis. Inest difficilis menda, de qua ego ita sentio. Versus 836 in libris recte scriptus est, sed in v. 835 pro ἡ corrigendum erat ὃ toto loco sic interpuncto: προσηγορεύθης: „ὃ Διὸς κλεινὴ δάμαρ | μέλλουσ' ἔσεσθαι, τῶνδε προσαίνει σέ τι;“ i. e. „o tu, quae Jovis clara uxor futura es, an horum aliquid tibi blanditur?“ Quae sunt ipsa Dodonaei oraculi sive Jovis verba Jo amasiam alloquentis. Similiter Venus aliam Jovis amasiunculam, Europam affatur ap. Horat. Od. III, 27, 73: „Uxor invicti Jovis esse nescis: | mitte singultus —.“ V. 862. 63. Sermo est de liberis Aegypti et Danai fratrum. Inest sane vitium, quod critici loco quaesierunt alieno. Neque versus excidit nec praeter duo verba θηλυκτόνῃ Ἄρει quidquam corruptum est. Quis uno in versu ferat duo dativorum paria? quis non potius videat alterum par vitio creatum esse? Restitue accusativum θηλυκτόνον Ἄρη. Hoc est: „Argus excipiet [non sponso sed] ab mulieribus commissam caedem occisorum vi nocturna.“ Δαμέντων non est genetivus absolutus sed ab his ipsis verbis θηλυκτόνον Ἄρη suspensus est. V. 889. ἡ σοφὸς, ἡ σοφὸς ἦν, ὅς — libri quae Hermannus recte servat, etiam illud ἦν, quod Monkius inepte deletat. V. 896. libri μήποτε, μήποτε μ' ὃ Μοῖραι — cum duplici metri vitio. Primum pro μ' corrige κάμ' (me quoque, sicut Jo') favente loco gemino (superiore v. 694). Deinde inter ὃ et Μοῖραι pes deest creticus, quem Paleius ita supplet: ὃ [πότναι] Μοῖραι usitato Parcarum epitheto. Ut in re incerta sane interim scribamus: μήποτε, μήποτε κάμ' ὃ | πότναι Μοῖραι —. V. 900 sq. Post παρθενίαν libri metro pergunt invito: εἰσορῶς Ἰοῦς γάμῳ δαπτομέναν | δυσπλάνοις (δυσπλάγγοις M) Ἥρας ἀλατσίαις πόνων. Pro istis γάμῳ δαπτομέναν cum Schuetzio ipse scripsit Hermannus μέγα δαπτομέναν metroque restituto feliciter adfecit emendationem, totam non perfecit. Nam ne sic quidem proximus v. 902 intelligi potest. Immo praeterea genetivi Ἰοῦς et Ἥρας (vel potius Ἥρα) transponendi sunt hoc modo: εἰσορῶς Ἥρα μέγα δαπτομέναν | δυσπλάνοις Ἰοῦς ἀλατσίαις πόνων. Haec demum luce sunt clariora mireque conveniunt loci gemelli Prometh. v. 592 et v. 601 atque Suppl. v. 548. Enimvero antithetici versus nunc sibi invicem more respondent Aeschyleo: μήτε τῶν γέννα μεγαλυνομένων atque εἰσορῶς Ἥρα μέγα δαπτομέναν. Quodsi hic verba εἰσορῶς Ἥρα praecesserunt, in oculos incurrit Weillii conjecturam ἀμαλαπτομέναν ipsi metro adversari. V. 903 sqq. Multis de causis certum est hisce versibus contineri epodum, sicut olim in El. D. Metr. p. 730 ipse Hermannus perspexerat. Contra Elmslejus, C. Lachmannus et postea in editione sua Hermannus quoque quum haec non epodum sed antistrophica esse voluissent: coacti sunt compluria temere mutare sanaque ultro corrumpere. Altera enim epodi pars v. 905 ἔρω — 910 φύγοιμ' ἄν mendis non laborat nisi levissimis. Verum primi versus gravioribus vitiis premuntur. Libri: ἐμοὶ ὅ ὅτι μὲν ὀμαλὸς ὁ γάμος | ἄφοβος, οὐ δέδια μηδὲ χρεῖσσόνων | θεῶν ἔρω —. Equidem scribo: ἐμοὶ δέ τοι γένοιθ' ὀμαλὸς | ὁ γάμος, ἄφοβος, εὐδίας | μηδὲ κ. θ. | ἔρω —. Jambicum dimetrum duo dimetri sequuntur trochaici. Chori puellae nuptias sibi exoptant pares metu expertes atque tranquillas. Quod εὐδίας conjeci, id h. l. Jonis nuptiis oppositum Aeschyleo non videtur indignum esse. V. 912. ἡ μὲν ἔτι Ζεὺς, καίπερ αὐθάδη φρονῶν | ἔσται ταπεινὸς οἷον ἐξαρτύεται | γάμον γαμεῖν. Pro eo quod est οἷον Robortelli editio habet τοῖον, id quod nonnullis arrisit. At recte Hermannus servat οἷον altera lectione tacito rejecta. Vide meas Quaest. Lucian. p. 117 sq., ubi p. 118 exempla e poetis dedi tragicis. V. 921. τινάσων τ' ἐν χερσὶν πύρπνον βέλος Mediceus, variatur tamen in aliis codd. ἐν χερσὶ (vel χερσὶ vel χερσὶ) πύρπνον β. Optime Hermannus emendationem recepit Porsoni: — τινάσων χερσὶ πυρπνόν βέλος. Weillio in mentem venit scribere: τινάσων πυρπνόν χερσὶ βέλος. At cohaerent τινάσων χερσὶ. V. 972 sq. Quinque versus 970 τῆς σῆς — usque ad v. 974 χρεῶν in libris continuantur Prometheo. Ineptissime. At Hermannus cum Erfurdio vidit duo versus 972 sq. Mercurii esse, hos dico: χρεῖσσον γὰρ οἶμαι τῇδε λατρεύειν πέτρα, | ἡ πατρὶ φῦναι Ζηνὶ πιστὸν ἄγγελον. Attici οἶμαι saepius ponunt

ironice, prorsus ut lingua latina ‚credo‘ frequentat. Non omnes tamen Hermannum ducem sequuntur in re tam manifesta. Aliud est enim edere Aeschylum, aliud intelligere. V. 1061. ἤτοι δ' εὐτυχῇ M pr. m. et in margine m. rec. εἰ τὰδ', caeteri libri partim εἰ τὰδ' εὐτυχῇ, partim εἰ τὰδ' εὐτυχῇ, partim εἴτα δ' εὐτυχῇ. Hanc mendam jure dixeris scopulum summorum criticorum naufragiis infamem. Non quo mihi videar solus sapere, sed quia turpe est in tali causa tacere, libere dicam, quid ego mihi velim. Jam dudum sic conjeci: τί γὰρ ἐλλείπει μὴ παραπαίειν, | εἰ ταῦτ' αὖχῃ; τί χαλᾷ μανιῶν; Possis etiam lenius: εἰ τὰδ' ἐπαυχῇ —. Compara Eurip. Androm. v. 462: μηδὲν τόδ' αὖχῃ. Mercurius debet Promethei orationem proxime superiorem castigare. Ac profecto ταῦτ' (sive τὰδ') respicit ad ferocia Promethei dicta v. 1047 sqq: πρὸς ταῦτ' —. Postremo Dindorfi conjecturam ἡ τοῦδε τύχη; aliis argumentis jam Hermannus refutavit. Adde quod absurdum est τύχη, ubi dicendum erat ἡ τοῦδε φρὴν et quod τοῦδε h. l. aperte falsum est, quum huc irreperit e v. 1063 ταῖς τοῦδε —. V. 1090. σκιρτᾷ δ' ἀνέμων πνεύματα πάντων | εἰς ἄλλα σταῖν ἀντίπουν | ἀποδεικνύμενα· ξυντετάραται —. Ita libri. At vero ἀντίπουν prorsus idem vitium est, quod supra v. 921 (ubi est πύρπουν) correximus. De h. l. sciens prudensque omitto conjecturas aliorum infelices. Certa est enim emendatio nostra: εἰς ἄλλα σταῖν ἀντιπότην τ' | ἀποδεικνύμενα· Hermannus noster de h. l. plane tacuit. Atqui supra ad v. 921 diserte vir summus dixerat, formam non contractam πύρπουν; tragicos praetulisse. Ergo etiam v. 1090 hanc ille mendam sustulisset, si nostram fabulam potuisset totam retractare. — Haec ego scripsi aegrota admodum et morti vicina uxore mea longe carissima, G. Hermanni filia tertia. Ille quoque jam senex primariam matronam socrum meam morte amisit acerbissima. Ac tamen ipse Hermannus hanc mortem sicut omnia forti tulit animo, ita ut aliis in luctu illius tanta fortitudo tum admirationi fuerit, mihi in meo luctu nunc solatio esse debeat atque exemplo.

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

- Dr. Fridericus Adolphus Philippi, P. P. O., 1) privatim epistolam ad Hebraeos explicabit quinques per hebdomadem hora XI; 2) privatim Evangelium Matthaei interpretabitur quinques p. h. hora XII.
- Dr. Joannes Bachmann, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim Vaticinia Jesajae interpretabitur, quinis p. h. scholis hora III; 2) privatim historiam cantici evangelici in ecclesia Megapolitana adumbrabit, binis p. h. scholis die Martis et Jovis hora IV; 3) publice Jesajae quae contra exterarum gentes edita sunt oracula (c. XIII seq.) explicabit, bis p. h. die Mercurii et Veneris hora IV; 4) publice in Seminario homiletico exercitationes sodalium moderabitur, binis scholis die Lunae h. VI—VIII vesp.
- Dr. Augustus Guilielmus Dieckhoff, P. P. O., 1) privatim historiae ecclesiasticae partem primam quinques p. h. h. IX, 2) privatim historiam dogmatum quinques p. h. h. X tradet et 3) publice in Seminario exercitationes catecheticas die Saturni h. XI et XII moderabitur.
- Dr. Ludovicus Theodorus Schulze, P. P. O., 1) privatim doctrinam Jesu Christi et apostolorum explicabit quinques p. h. hora VIII—IX; 2) privatim theologiam dogmaticam docebit quinques p. h. hora IX—X; 3) publice introductionem in theologiam dogmaticam binis lectionibus die Mercurii hora V—VII tradet; 4) privatissime sed gratis exercitationes dogmaticas moderari perget, in quibus locos formulae Concordiae explicandos proponet, die Jovis hora VI—VIII.

In ordine juridico.

- Dr. Hugo Boehlau, P. P. O., 1) jus Germanicum privatum docebit quinques h. XII; 2) praecepta juris privati Mecklenburgici exponet ter per hebdomadam h. III; 3) jus feudale tam commune quam Mecklenburgicum tradet ter per hebdomadam h. III.
- Dr. Carolus Birkmeyer, P. P. O., 1) theoriam processus civilis Imperii Germanici docebit senis p. h. scholis h. XI—I; 2) processus summariorum nec non procedendi in concursu creditorum modum binis p. h. scholis tractabit h. XI—I; 3) conversatorium offert de processus civilis praeceptis binis p. h. scholis h. XI—I.
- Dr. Franciscus Bernhöft, P. P. O., 1) pandectarum partem I (praecepta generalia et jura in re) senis p. h. scholis h. c. tradet; 2) pandectarum partem III (jus hereditarium) quaternis p. h. scholis h. XI docebit; 3) Gaii institutionum librum IV binis et 4) publice studiosis juris et philosophiae Ciceronis orationem in Verrem de praetura urbana singulis p. h. scholis h. c. interpretanda proponet.
- Dr. Guilielmus Kahl, P. P. O., h. t. Decanus, privatim 1) jus ecclesiasticum nec non juris et ecclesiastici et civilis de matrimonio praecepta docebit senis p. h. h. IX; 2) processum criminalem Germanicum tradet quater p. h. h. X.
- Dr. Ernestus Zitelmann, P. P. O., 1) historiam et institutiones juris Romani explicabit octonis per hebdomadam horis, die Lunae, Mercurii, Veneris h. XI—I, die Martis et Jovis h. XII—I; 2) exercitationes practicas instituet ternis per hebdomadam horis die Martis h. V—VII, die Jovis h. V—VI.

In ordine medico.

- Dr. Hermannus Stannius, P. P. O., adversa valetudine impeditus lectiones nullas habebit.
- Dr. Theodorus Thierfelder, P. P. O., 1) pathologiam et therapiam specialem ternis diebus h. IX docebit; 2) de aegrotis policlinicis disseret horis definiendis; 3) exercitationes practicas in clinico medico quinis diebus h. X moderabitur.
- Dr. Hermannus Rudolphus Aubert, P. P. O., h. t. Decanus, 1) publice encyclopaediam et methodologiam scientiae medicae diebus Lunae et Jovis hora III—IV, 2) publice generationis et evolutionis historiam diebus Mercurii et Saturni h. III—IV, 3) privatim physiologiae partem alteram (functiones animales) quotidie h. IX—X tradet; 4) privatissime exercitationes physiologicas moderabitur bis per hebd. ternis horis.
- Dr. Guilielmus de Zehender, P. P. O., 1) ophthalmologiam quaternis p. h. horis IX—X docebit; 2) exercitationes practicas in clinico ophthalmiatrico diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. XII—II, 3) exercitationes ophthalmoscopicas horis definiendis moderabitur.
- Dr. Fridericus Schatz, P. P. O., h. t. Rector, 1) in clinico gynaecologico exercitationes practicas quinquies p. h. moderabitur hora VIII, 2) mulierum morbos ter p. h. h. IX, 3) medicinam forensam ternis horis p. h. docebit.
- Dr. Fridericus Sigm. Merkel, P. P. O., privatim 1) anatomes c. h. partem priorem sexies p. h. hora XII—I docebit; 2) privatissime exercitationes anatomicas quotidie h. IX—XII moderabitur.
- Dr. Fridericus Trendelenburg, P. P. O., 1) chirurgiam specialem tradet ternis diebus h. IX—X; 2) exercitationes practicas in clinico chirurgico moderabitur diebus Lunae, Mercurii, Veneris h. XI—XII, diebus Martis, Jovis, Saturni h. XI et dim.—I.
- Dr. Albertus Thierfelder, P. P. O., 1) pathologiam generalem quotidie hora VIII docebit; 2) cursum anatomes et histologiae pathologicae habebit additis demonstrationibus et exercitationibus cadavera rite dissecandi diebus Lunae, Mercurii, Veneris hora XII—I et dim.
- Dr. Otto Nasse, P. P. O. designatus, 1) publice de medicamentis, quae ad cordis vasorumque motus pertinent disseret semel p. hebd. die Lunae h. IV—V; 2) privatim de alimentis hominum disseret die Jovis h. V—VII; 3) privatim chemiam physiologicam docebit die Martis h. V—VII, die Mercurii h. XII—I; 4) privatim exercitationes chemicas et ex physiologia et ex pathologia in laboratorio quotidie horis definiendis moderabitur.
-
- Dr. Julius Uffelmann, P. P. E., 1) privatim hygienam privatam et publicam ter per hebd., 2) infantum morbos quater per hebd. privatim, 3) disciplinam quae diaetam spectat tam sanorum quam aegrotorum, bis per hebdomadem publice tractabit.
-
- Dr. Guilielmus Brummerstaedt cursum operationum, quae in arte obstetricia adhibentur, ternis p. h. horis definiendis moderabitur.
- Dr. Paulus Schiefferdecker, 1) osteologiam et syndesmologiam tractabit ter per hebd. privatim; 2) histologiam organorum corporis humani una cum exercitationibus practicis quater per hebd. privatim; 3) anatomiam corporis humani auditoribus omnium ordinum explicabit semel per hebd. privatim.

- Dr. Fridericus Neelsen Tuberculoseos, Scrofuloseos, Syphilidis iisque similium affectionum pathologiam et anatomiam bis per hebd. exponet.
- Dr. Theodorus Gies 1) gratis fracturas et luxationes bis per hebd. docebit; 2) privatim varia vulnera eorumque curas semel per hebdomadem tractabit.

In ordine philosophico.

- Dr. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., Academiae Senior, 1) privatim ternis diebus h. XI Ranas Aristophanis explicabit; 2) in Seminario philologico partim regendo sodales docebit Lucreti de rerum natura libros primum et secundum atque Medeam Euripidis bene interpretari.
- Dr. Joannes Roeper, P. P. O., privatim 1) familias plantarum naturales demonstrationibus vegetabilium medicinalium illustrandas, ternis diebus h. XI, 2) historiam plantarum cryptogamarum, ternis diebus h. XI docebit.
- Dr. Ludovicus Bachmann, P. P. O., privatim 1) ter p. h. hymnos Homericos interpretabitur; 2) ter p. hebd. Ciceronis ad Atticum epistolas explicabit; 3) privatissime de Geographis graecis minoribus disputabit.
- Dr. Fridericus Guilielmus Schirrmacher, P. P. O., privatim 1) historiam gentis Germanicae a Caroli V electione usque ad annum 1789 docebit quinque diebus h. XII; 2) historiam Graecorum a bello Peloponnesio usque ad Alexandri Magni tempora deducet binis diebus h. XI; 3) publice Seminarii historici exercitationes moderari perget binis diebus.
- Dr. Henricus de Stein, P. P. O., 1) historiam philosophiae antiquae quater p. h. h. IV—V diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris enarrabit; 2) paedagogicen ter p. h. V—VI diebus Mercurii, Jovis, Veneris explicabit; 3) psychologiam ter p. h. III—IV diebus Lunae Martis, Mercurii leget.
- Dr. Reinholdus Bechstein, P. P. O., 1) privatim Godofredi Argentoratensis poema Tristan interpretabitur ter per hebd. hora X—XI; 2) privatim grammaticam linguae franco-gallicae historicam tradet bis per hebd. hora IX—X; 3) privatissime exercitationes cum sodalibus instituet de literarum germanicarum historia recentiorum temporum bis per hebd. horis adhuc definiendis; 4) exercitationes Seminarii Germano-philologici moderari perget, in quo carmina saeculi XI et XII et Goethii „Dichtung und Wahrheit“ tractabuntur.
- Dr. Oscarus Jacobsen, P. P. O., privatim 1) chemiam organicam quinque per hebd. docebit h. X; 2) exercitationes experimentales in laboratorio chemico quinque per hebd. moderabitur; 3) publice de praeparatis chemicis officinarum bis per hebdomadem disseret.
- Dr. Hermannus Grenacher, P. P. O., 1) morphologiae animalium partem priorem zoologiam generalem, systema et anatomiam comparativam animalium vertebris carentium amplectentem senis p. h. horis (IV p. m.) privatim enarrabit; 2) exercitationes zoologicas et zootomicas horis definiendis instituet privatissime.
- Dr. Ludovicus Matthiessen, P. P. O., privatim 1) physices experimentalis partem alteram docebit quinque p. h. hora V; 2) exercitationes physices practicae instituet; 3) publice exercitationes Seminarii physici moderari perget.
- Dr. Richardus Foerster, P. P. O., privatim 1) historiam artis graecorum enarrabit diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris hora VIII; 2) praefatus de vita, poesi, ingenio Pindari carmina explicabit iisdem diebus hora X; 3) publice exercitationes Seminarii philologici moderabitur bis p. hebd.

Dr. Martinus Krause, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim algebram superiorem docebit diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris hora XI; 2) privatim introductionem in analysin infinitorum tractabit diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris hora XII; 3) publice Seminarium mathematicum dirigit die Mercurii h. XI et XII.

Dr. Fridericus Guilielmus Martinus Philippi, P. P. O., 1) privatim grammaticam linguae hebraicae ter p. h. docebit; 2) privatim grammaticam linguae sanscriticae praecipua linguarum et graecae et latinae ratione habita ter p. h. tradet; 3) privatim grammaticam linguae arabicae una cum interpretandi exercitationibus bis p. h. tradet; 4) privatim prophetarum Targumim (ed. de Lagarde) bis p. h. interpretabitur; 5) gratis lectionem quae dicitur cursoria, librorum Josuae et Judicum bis p. h. habebit.

Dr. Hermannus Paasche, P. P. O., 1) privatim oeconomiae politicae partem primam docebit quinquies per hebd. h. defin.; 2) privatim artem statisticam explicabit et exercitationibus illustrabit quater p. h.; 3) privatissime et gratis exercitationes oeconomopoliticas moderari perget die Lunae hora V—VII.

Dr. Reinholdus Heinrich, P. P. E., 1) privatim physiologiam plantarum bis p. h. docebit; 2) practicum agrario-chemicum quater p. h. reget.

Dr. Eugenius Geinitz, P. P. E., 1) privatim mineralogiae elementa tractabit exercitationibus et demonstrationibus illustrans, sexies p. h. hora IX—X; 2) publice geologiam chemicam leget bis p. h.; 3) societatem mineralogicam privatissime sed gratis bis p. h. reget.

Dr. Carolus Weinholtz privatim 1) logicam ideisticam ex compendio suo docebit; 2) principia juris methodoideistica enucleabit; 3) de scientiarum fundamentis disseret.

Dr. Julius Robert 1) privatim quater p. h. de lingua gallica scholas practicas habebit; 2) privatim historiam literarum franco-gallicarum docebit quater p. h.; 3) privatim de variationibus linguae gallicae inde a saeculo XII disseret quater p. h.

Dr. Felix Lindner 1) syntaxin linguae franco-gallicae docebit bis per hebd. privatim; 2) capita selecta ex Bartschii libro: „Altfranzösische Chrestomathie“ explicare perget semel p. h. gratis; 3) exercitationes anglicas moderabitur semel p. h. gratis.

Dr. Hermannus Kretzschmar 1) studiosos theologiae cantica, quae in libro continentur, qui dicitur „cantionale Mecklenburgiense“ et 2) studiosos omnium ordinum principia artis canendi docebit.

Bibliotheca Academica diebus et horis lege constitutis, **conclave secretarii officii** destinatum h. XI—XII quotidie patebit, **museum** autem die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Peregrinas linguas velut Anglicam discendi facultas data est. Sunt etiam magistri, qui alias artes liberales ut gymnasticen publice profiteantur.

Summo academiae magistratu nunc fungitur

Fridericus Schatz, M. Dr.

Praesidet ordini Theologorum **Johannes Bachmann, Th. Dr.**

Jurisconsultorum **Guilielmus Kahl, J. U. Dr.**

Medicorum **Hermannus Aubert, M. Dr.**

Philosophorum **Martinus Krause, Ph. Dr.**